

vt per populum Israëliticum mystico sensu intelligatur populus Christianus, quem in hæreditariam suam possessionē sibi peculiariter sapientia Dei & Christus delegit, in quo & sua dona effundit, & summè delestat. Sunt etiam in hac sapientiæ oratione, quæ in sacratissimæ virginis festiuitate in ecclesia decantantur, quasi ad eam pertineant, & de ea dicta sint. Quod neminem offendere debet, nec ob id quisquam existimare debet quòd de matre Domini hæc proprio sensu dicta sint. Non enim ea intentione ecclesia illis festiuitatibus hæc decantat, quasi putet hæc de ea virgine propriè dicta esse, sed quia piè illa ei accommodari possunt, quòd illi multa huius orationis bene conueniant, ut impensis sexus fœmininus, sub quo hæc oratio nomine sapientiæ effertur. Deinde quædam huius orationis partes, qualis est illa: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Postremū quoniam quæ Dei sapientia & Christus in populo suo præsttit & effecit, per illam quæ Christum peperit, singulariter & eximiè perfecit, cui vt gratiæ plenitudinem super omnes alios contulit, & suæ gloriæ confortum: ita mirum nō est si quæ Christo propria sunt, quodam modo ei communicetur. Quomodo autem hæc omnia particulariter Diuæ virginis accōmodari possunt, discere licet ex Dionysio & alijs, qui hæc diligenter tractauerunt.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

- ¶ In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata corā Deo & hominibus; Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi bene consentientes.



Ræca pro; placitum est spiritui meo; tantùm habent ḥρα-
σθη, & pro; quæ sunt probata; habet ḥρι ḥρι ḥρι. Itaque
vertunt: In tribus decorata sum, & surrexi decora; vt rur-
sum hic inducatur ipsamet sapientia loquens, quæ se te-
stetur maximè delectari & ornari concordia & amicitia
hominum. Interpres noster pro ḥρι, videtur legisse ḥρι, vt adiectiuum,
& ḥρι, sit neutrum plurale. Juxta cuius versionem rectè accipitur hic lo-
qui ipse author, qui ad tradenda moralia documenta iam rursum re-
deat: quanquam etiam accipi possint hæc dicta in persona sapientiæ, si-
cut intelligit Rabanus. Imprimis autem cōprehendit numeris quædam
bona & quædam mala, quemadmodum & Salomon fecit quibuldam lo-
cis. Quod genus est antiquæ doctrinæ, hanc habens commoditatem, vt
quæ sic traduntur, memoria facilius retineri possint. Primum ergo tria
ponit, quæ non sibi tantùm placere dicit, sed etiam probari & Deo &
hominibus: quæ tria ad idem pertinent, nempe amicitiam & dilectio-
nem, quæ etsi inter omnes sit seruanda, præcipue tamē in triplici homi-
num coniunctione, videlicet ea quā parit consanguinitas, quam significat
cūm dicit; Concordia fratrum. Deinde ea quam facit cohabitatio, quam
significat cūm dicit; Amor proximorum, hoc est, vicinorum. Et tertio ea

CORN. IANSENII COMMENTARIA

quam efficit coniugium. De qua dicit; Vir & mulier sibi consentientes. Vbi notandum pro , consentientes , Græcis efficacius esse συμπειθερόμηνος : quæ dictio significare videtur coniuges vicissim sibi debere deferre , & mutuos defectus ferendo , & mutuis officijs iuuando. Sonat enim ac si dicas, simul circumferentes , aut simul circumlati. Et videri potest translatio sumpta à conuiuijs & compotationibus , quæ ob familiarem & amicam poculi circulationem συμπειθερόμηνος nominantur, vnde & συμπειθερόμηνος pro coniunctu , ac vitæ coniunctione accipitur. In triplici ergo hac iam dicta coniunctione adeo requiritur amicitia & concordia, vt si ea absit, maxima mala prouentura sint, & vita hominum futura sit incommodissima : & contra fœlicissima, si adsit inter sic coniunctos.

- 2 Trés species odiuit anima mea , & aggrauor valde animæ illorum .
- 3 Pauperem superbum , & diuitem mendacem , & senem fatuum & insensatum .

Pro, aggrauor valde animæ illorum , Græcis est πλοσώχθισα σφέδεα την ζωήν επιτάχυν , hoc est , infensus sum vel infensa sum valde vitæ illorum. Sensus ergo est: valde grauis sum contra animam illorum, vel contra illos, hoc est, grauiter illos fero, eisque indignor. Tribus speciebus sibi gratis, opponit tres alias sibi ingratis, tria scilicet hominum genera, quæ pugnant cum natura suę conditionis, & committunt quod eis omnium minimè conuenit, ideoque minimè tolerari possunt. Quorum primum est, pauper superbus. Non enim, vt diues, habet vnde efferatur, sed suę conditionis ratione meritò se deprimere deberet. Secundum est, diues mendax . Nam & is non ita causam habet mentiendi sicut pauper, quem inopia sæpe ad mentiendum prouocat, & suis mendacijs propter autoritatem quam habet in republica, magis nocet quam pauper, cuius verbis non facile fides habetur. Tertium est, senex fatuus & imprudens. Cùm enim per ætatem & rerum experientiam, multam sibi debuisset colligere prudentiam, minus in eo ferenda est imprudentia,

Isaiæ 65. quæ in iuuibus non ita virtio vertitur . vnde Isaiæ 65. dicitur : Puer centum annorum morietur , & peccator centum annorum maledictus erit. Pro, fatuum , tamen Græcis est μοιχόν , hoc est , adulterum, vt sit tertium, senex adulter & deficiens prudentia. Minimè enim omnium libido enrenis in senibus ferenda est, quæ iam in illis per ætatem refrescente calore naturali & libidinis incentiuo , restincta esse deberet. Nam, vt ait Cicero, cùm omni ætati foeda sit libido, tum senectuti multo fœdissima. Interpres noster pro μοιχόν, legisse se declarat, μοιχόν. Mystice pauper superbus est, qui cùm virtutis & sapientiae inops est, de virtutibus & scientia gloriatur. Diues mendax, qui cùm in scripturis multum sit versatus, errorum magister efficitur. Senex fatuus, qui cùm longo prius tempore probè vixerit, in senectute vanitates carnis & mundi sectatur .

Quæ

4 Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?

Graeca non habent relatuum, quæ, nec Rabanus, nec multa scripta, sed tantum; In iuuentute tua non congregasti; & est iucundior sententia, quæ dirigitur reprehensiæ ad fatuos senes, ostenditque unde fiat ut in senectute inueniantur quidam prudentia deficients, nempe quia in iuuentute sua non studuerunt sapientiæ, nec eam sibi cum vires ferrent, comparare & colligere undeque laborauerunt. Quamuis enim sententia ut est generalis, & ad temporalia bona referri possit, quæ si quis in iuuentute non collegerit, ut in plurimum egebit eis in senectute: tamen potissimum hoc loco dicta videtur, occasione eius quod dixit senem fatuum & insensatum, ut ostenderet unde proueniat senum imprudentia & fatuitas, sicut & sequentibus ostendit, quantum prudentia senes decet & ornat.

5 Quam speciosum canicie iudicium, & presbyteris cognoscere consilium.

Duo dicit speciosa esse & decora canis & presbyteris, hoc est, senibus nempe, & bene posse iudicare, & posse sanum suggerere consilium, quorum vtrumque & prudentiam & autoritatem requirit, quæ senibus maximè propria sunt, quibus experientia & anni prudentiam adferunt, canicies autoritatem. Vires enim sunt iuuenilis ætatis, at prudentia, consilium, sententia, & autoritas, senectutis. Itaque apud Lacedæmonium summum concilium *γέροντες*, conuentus cœtuque senum dicebatur: quemadmodum Romæ senatus est appellatus, quod ex senibus constaret.

6 Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriofis intellectus & consilium.

Veteranis, posuit interpres pro antiquis & senibus. Est enim Græcis *γέροντες*. Legendum autem esse gloriofis, ut quidam libri habent, & non gloriofus, ut multi libri habent, patet ex Græcis, quæ habent *στάλοντες μηνοις*, honoratis. Coniungit enim hoc loco ætatem graue cum honore ac dignitate, quia vtrique maximè conuenit sapientia & intelligentia. Et superiori quidem sententia ornare ait senes iudicium & consilium, hic verò sapientiam, quia haec ad illa duo est necessaria.

7 Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.

Legendum est per nominatiuum, multa peritia, ut habent libri correctiores, & non, in multa peritia, quia Græcè est *πολιωρία*, hoc est, experientia siue multarum rerum peritia. Duo ergo dicit esse quæ senes instar coronæ ornat & gloria afficiunt, peritia per experientiam acquifita, & huic coniunctus timor Dei, sine quo peritia illa noxia erit, & ad

CORN. IANSENII COMMENTARIA

malefaciendum promptior: cum illo verò perfectū senectuti ornamen-
tum accedit. Hac ergo occasione in sequentibus subiicit eximiam ti-
moris Dei commendationem, ostendens illum præferendum omnibus
quæ ad beatitudinem hominis pertinere putantur.

8 Nouem insuspicibilia cordis magnificaui, & decimum dicam
in lingua hominibus.

Pro, insuspicibilia, Græcis est ἡ πονηρα, hoc est, nouem cogitata.
Nec est, cordis, sed ἡ καρδια με, hoc est, in corde meo. vt oppona-
tur ei quod sequitur, in lingua. Interpres noster videtur legisse ἡ πονη-
ρα. Potest autem nostra lectio, quo originalibus maximè accedat,
sic accipi: Ego quidem apud me magna esse duxi noue, quæ talia sunt,
vt de eis cor meritò suspicari non debeat quin bona sint, & ad fœlicita-
tem hominis pertinentia: at præter hæc est decimum, quod non tan-
tum apud me magnificam, sed etiam lingua hominibus prædicabo, ac
multis verbis commendabo. Significat ergo nouem illa talia esse, vt
quamuis in se optanda sint & magnificienda, comparatione tamen de-
cimi, non sint magnopere verbis extollenda & prædicanda. Istud de-
cimum omnino videtur esse timor, qui post plurima ad fœlicitatem per-
tinentia, super alia hic eximiè commendatur. At difficile est in sequen-
tibus inuenire plenum numerum nouenarium ante timorem, cùm tan-
tum videantur octo numerari sive in nostra versione, sive in Græcis,
quæ cum nostra versione nō per omnia consentiunt. Nam pro eo quod
nos habemus veluti sexto loco positum; Beatus qui inuenit amicum
verum; Græca habent, Beatus qui inuenit φρόνησις, prudentiam. Pro-
inde & in Græcis tantum octo deprehenduntur præter timorem. Itaque
intelligunt quidam, timorem esse nonum, decimum verò esse dilectionem
Dei, quæ insinuatur ibi; Timor Dei, initium dilectionis eius. Et
æditio Complutensis, vbi nos legimus; Timor Dei super omnia se su-
perposuit; pro, timor, habet ἡ τάπησις οὐκείδης, dilectio autem Domini.
Iuxta quam lectionem facile est hic decem inuenire ab authore com-
mendata. At dissentunt alia Græca exemplaria, quæ habent; nobiscum
timor Dei. Et omnino verisimile est exemplar Complutense hoc loco
corruptum ab aliquo fuisse, quò melius decem deprehendi possent, &
quia videbatur timori Domini præferendam esse Dei dilectionem. Nam
omnino videtur authorem pro decimo & supremo designasse timorem
Dei, de quo dicit; Qui tenet illum, cui assimilabitur? Vbi relativum,
illum, etiam in æditione Complutensi referri debet ad φόβον, timorem,
& non ad ἡ τάπησις, hoc est, dilectio, cùm sit relativum masculinum,
ἄντοι. Quo ergo decem expressa hic inueniantur, omnino crediderim
& in Latinis & in Græcis deesse unum, quod ex utrisque sit restituendum.
Nam & Græca nunc non habent de eo qui inuenit amicum ve-
rum, cùm tamen omnino verisimile sit illud etiam inter ea quæ ad fœ-
licitatem pertinent designasse, quandoquidem ad eam illud non parum
habet

habet momenti. Et Latina non habent distinctè de eo qui inuenit prudentialm: quæ duo si coniungantur in numero, iam habentur decem, quorum summum est timor Dei, qui iuxta morem loquendi scripturæ non distinguitur à dilectione Dei, sed eum includit, & secū adfert. Scripturæ enim timorem Dei magnopere commendantes, de timore filiali loquuntur, non seruili. His præmissis, pro explicatione confusionis quæ est in exemplaribus, singula distinctius sunt enarranda.

9 Homo qui iucundatur in filijs, viuens & videns subuersione inimicorum suorum.

Hic versus duo ex decem coniungit. Primum enim beatum & fœlicem dicit eum, cui datum est ut in filijs voluptatum concipiatur, hoc est, ut & sobolem habeat, & eam probā atque honestam. Nam ut tales habeat paucis contingit, cùm plerique aut proles non habeant quas desiderant, aut non tales quæ voluptatem adferant & gaudium, sed mœrem & ignominiam. Sic & Daud dicit: Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis. Et alio loco inter Dei benedictiones numerat, quod vxor hominis timetis Deum, sit sicut vitis abundans, & filij sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ ipsius. Secundo loco ponit eū, cui, dum adhuc viuit, datur videre subuersione inimicorum suorum. Quod ut in pijs & iustis habeat locum, oportet intelligere de talibus inimicis, qui iniustè pios persequuntur, quorū vindicta & pœna diuinitus inflcta, pijs summam voluptatem adfert: tum quod illorum punitio faciat ad Dei gloriam, tum quod per eorum subuersione pijs ab illorum iniqua oppressione liberentur, intelligentque Deum gerere curam suorum. His enim de causis, & horum respectu, etiam Daud in parte fœlicitatis ponit, videre impiorum perditionem. Cùm perierint, inquit, peccatores, videbis. Et alibi: Et super inimicos meos despexit oculus meus. Vbi pro, despexit, Græcis est, vidit.

Psal. 126,
Psal. 127.

Psalm. 36.

10 Beatus qui habitat cum muliere sensata, & qui lingua sua non est lapsus, & qui non seruiuit indignis se.

TRes fœlicitatis partes continet hic versus. At cùm id contra morem authoris factum sit, ut tria membra hic versus contineat, (nam solet duobus membris sententiam absoluere) &c, ut ex suprà dictis patet, unum ex decem desit & Latinis & Græcis, crediderim authorem iunxit cum eo qui habitat cum muliere sensata, eum qui inuenit amicum verum, ut plena sententia fuerit; Beatus qui habitat cum muliere sensata, & qui inuenit amicum verum. Hæc enim duo rectè coniunguntur. Deinde sequatur noua sententia bimembris; Et qui lingua sua non est, &c. Inter beatos ergo tertio loco ponitur qui habitat cum muliere prudente, quia & singulari raroque Dei dono contingit habere talem uxorem, & ex tali summa percipitur commoditas atque lœtitia. Quartο loco ponitur, qui lingua sua non est lapsus, hoc est, qui per linguam

X iiiij non.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

non grauiter peccauit, aut in aliquod incommodum non est prolapsus. Cùm enim facilis sit lapsus linguæ, & frequéter homo dicendo aliquid, malum sibi accersere soleat, singulare Dei beneficium est, liberum esse Jacob.3. ab huiusmodi lapsu. Vnde & Apost. Iacobus dicit. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Quinto loco ponit eum qui non seruiuit indignis se, hoc est, eum qui non cogitur subesse, & duram seruitutem pati sub hominibus improbis, qui indigni sunt ut eis seruiatur & obediatur. Nam cùm satis durum sit per se ipsum seruire, omnino intolerabile est & grauissimum seruire improbis, quibus nunquam satisfit, quique impia sæpe exigunt. Et tamen frequens est hoc malum, ut quis iniquos & ineptos cogatur ferre dominos & superiores, vt mirum non sit beatum hic dici eum qui Dei beneficio, etiam si ferre cogatur superiores & dominos, tamen probos fortitus est, & tales quibus obediere non sit graue, nec indignum liberali & bono viro.

11 Beatus qui inuenit amicum verum, & qui enarrat iustitiam auri audienti.

PRO, amicum verum, ut suprà dictū est, Græcis constanter est φρένοις, prudentiam, idque hoc loco posuisse authorem, omnino verisimile est, quod cum sequenti membro optimè congruat. Iuxta nostram lectionem quod minus habemus de prudentia, in sequenti sententia comprehensum intelligere licebit, ut ibi dicetur. Sexto ergo loco beatus dicitur qui inuenit amicum verum, qui scilicet nō adsit tantum tempore prospero, sed etiam aduerso, quique salutem amici ex animo quærat, eumque cùm opus est defendat & arguat. Et meritò talis beatus dicitur, quia ut tales amici rari sunt, ita Dei peculiari munere obtingunt, & multam homini cum voluptate commoditatem adferunt. Vnde suprà sup.ca.6. dixit: Qui inuenit illum, inuenit thesaurum. &c: Qui metuunt Dominum, inueniēt illum. Septimo loco ponit eum qui enarrat iustitiam auri audienti, hoc est, eum qui doctrinæ suæ benignos consequitur & obedientes auditores. Molestem est enim docenti, si, cùm docet, mentes auresque auditorum sentiat esse alienas, ita ut & operam suam atque laborem sentiat perire, & iustitiam atque veritatem quam docet ac inculcare conatur, aduertat non amari, nec gratam esse auditorio. Et tamen hoc malū admodum frequens esse experimur quotidie, ut mirum esse non debeat inter beatos numerari eum cui contingunt auditores attenti, benevoli & obedientes. Percipit enim ex talibus magnam laborum suorum voluntatem & utilitatem.

12 Quām magnus est qui inuenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum.

GRÆCA non habent, scientiam, sed tantum, sapientiam. Noster tamen videtur adiecisse de scientia, pro eo quod in superiori sententia Græca habent φρένοις, prudentiam. Proinde recte post Rabanum intelligimus

mus priori parte huius sententiæ duo membra contineri , vt numerus denarius perficiatur , & in octaua beatitudinis parte ponatur , qui inuenit sapientiam: in nona , qui inuenit scientiam. Inter sapientiam autem & scientiam hoc intersit, vt sapientia sit circa intelligenda & speculabilia: scientia sit de agendis,circa quæ versatur prudētia. Nam & D.Pau-^{1. Cor.12.}lus hæc duo tanquam diuersa dona distinguit , cùm dicit : Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ. Magnus est ergo & excellens , qui asscutus est diuino munere eximiā p̄r cæteris sapientiam , qua potens sit & alios docere quæ de Deo , diuinisque rebus sint sentienda , diuinas scripturas explicare,& veritatis hostes redarguere. Magnus itē , qui adeptus est p̄r cæteris scientiam agendorum,vt & cognoscat quid in singulis negotijs occurrentibus sibi sit agendum , & alios idem docere valeat , salutare confilium prebendo, sed neuter istorum p̄æcellit eum qui timet Dominum. Vnde pro decimo super omnia p̄ædicando , subiicit:

13 Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illū , cui assimilabitur?

MUlti libri non habent pronomen, se, sicut nec Græca,vnde Dionysius subintelligit hominem, vt sit sensus: Timor Dei super omnia superposuit hominem. At rectius subintelligitur & additur pronomen, se . Sic enim idem significatur quod in Græcis , quæ habent ὁ τρόπος τοῦ θεοῦ , hoc est,superat , & excellit. Loquitur autē de timore Dei, sicut & aliās ferè , vt includit studiosum affectum placendi Deo. Hic enim etiam sapientiam superat, si sapientia seorsum accipiatur intellecta per se sine timore Dei, quem alioqui includit, cùm alibi dicitur: Initium sapientiæ, timor Domini. Quanquam autem omnia p̄ædicta non contingant ferè nisi timetibus Deum, tamen timorē Dei dicit omnia illa superare,quia singula per se sunt accipienda, & intelligendum quod quamuis ob singula illa homo ex parte dici possit beatus & fœlix , longè tamen magis beatus dicendus est nomine timoris diuini si illū habeat, sine quo omnia illa prodeſſe non valent ad perfectam veramque beatitudinem , & cum quo nihil ferè deerit quod ad beatitudinem pertineat . Hunc timorem Domini quoniam ex nobis non habemus , sed ex singulari Dei munere , rectè additum est à nostro interprete , quamuis id Græca expressè non habent;Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei.

14 Timor Dei,initium dilectionis eius:fidei autem initium agglutinandum est ei.

HAc sententia insinuat excellentiam timoris Dei. Porro in secunda parte variant nostri codices, quia quidā habent, agglutinatum: quidam habent per duis dictiones , ad glutinandum , alij agglutinandum. Nec ex Græcis satis colligere licet quæ lectio sit p̄æferenda , cùm illa longè securus habeant,hoc modo: οὐσία ἀπόγνωστος εἴη, id est,fides,

CORN. IANSENII COMMENTARIA

autem principium coniunctionis (vel conglutinationis) eius, scilicet est. Quo significatur fidem in Deum, esse principium coniunctionis qua Deo coniungimur & adhaerescimus. Postrema lectio præferenda omnino videtur, & accipienda ut sit sensus: Initium fidei, hoc est, fides tanquam initium est iungendum timori Dei, scilicet in efficienda dilectione Dei, ut significetur timor Dei non esse initium dilectionis Dei, nisi etiam concurrat fides tanquam eius initium. Ad ingenerandā enim & augendam in nobis dilectionem Dei oportet ut concurrant & cooperentur sibi timor & fides. Timor enim efficit ut caueamus offendere Deum, fides ut de eius bonitate bene confidamus, nimirum verbis eius plenè credentes. Vnde hæc duo sæpe coniunguntur in scripturis, ut cùm

Psal. 146. dicit Psalmista: Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Porro sic dicitur hic timor Dei esse initium dilectionis eius, sicut dicitur alibi initium esse sapientiæ, intrinsecum scilicet, & sine quo vera Dei dilectio nec acquiritur, nec subsistit, nec augetur. Potest etiam quod hic dicitur de dilectione Dei, accipi de ea qua Deus timentes se diligit. Hinc enim Deus incipit homines tanquam amicos suos diligere, quod videat eos se metuere, sibi que fidere, iuxta illud: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diligit eū, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Ioan. 14. 15 Omnis plaga, tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris.

Post bonorum quorundam inter se comparationem, subiicit & malorum aliquarum rerum inter se cōparationem, inter multa mala valde exaggerans usque ad finem capit is malitiam mulieris, cuius occasionem ei dedisse potuit, quod dixit superiorius beatū qui habitat cum muliere sensata. Porro hæc sententia in Græcis iam non est, opportunè tamen addita est ad sequētum explicationem. In qua, ut commodum habeat sensum, dictio, omnis, pro summa & maxima accipienda est, ut significetur summam plagam vel vulnus esse tristitiam cordis, & summam malitiam esse nequitiam mulieris. Tristitia enim cordis & dolor animi, veluti plaga est & vulnus animi, similitudine sumpta à vulneribus corporis: quia sicut hæc lœdunt corpus, ita mœror lœdit animum, eumque exedit & cruciat. Hanc ergo summam plagam & maximum vulnus esse dicit, quod cum illo nullus corporis cruciatus sit conferendus, & minus sit curabilis. Deinde animo mœrore vulnerato, nec corpus bene affectum esse potest: contrà eo gaudente, etiam corpus male affectum facilius restituetur. Animus enim gaudens ætatem floridam facit, spiritus autem tristis exiccat ossa. Sic & mulieris malitiam, summam esse malitiam dicit. Nam mulieres cùm Dei timore sunt destitutæ, ferè in malitia viros excedere solent: idque partim ob id quod cùm minus vigeant rationis iudicio, minus per rationis frenum retrahi possunt à malo quod corrupta natura suggerit, partim ob id quod cùm

Pro. 17.

cum per sexum sint infirmiores, magis per infidias tentent laedere, quæ minus vitari possunt. Sed ut his de causis quæ malæ sunt mulieres, admodum malæ sunt: ita contrà quæ sive natura, sive vnu pia sunt, etiam viros in pietate excellunt, ob sexus fragilitatem, & cordis molliciem valde flexilem. Hac ergo præmissa sententia rectè subditur.

16 Omnam plagam & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam & non nequitiam mulieris.

17 Et omnem obductum & non obductum odientium, & omnem vindictam & non vindictam inimicorum.

P Erplexus est hic locus, ideoque nostros mirè torquet. Perplexitatem ex magna parte attulit verbum, videbit, ab interprete additum sine supposito, cum nullum verbum sit Græcis, sed ponuntur accusatiui sine verbo; Omnam plagam & non plagam cordis, & omnem malitiam & non malitiam mulieris. Est autem oratio imperfecta, perficienda subauditione verbi, patiar, aut similis, ut sit sensus: Quamuis plagam patiar, modò non plagam cordis: quamuis malitiam, modò non malitiam mulieris. Vult enim significare quamuis plagam tolerabilem esse, excepta plaga & vulnere animi, hoc est, tristitia animi. & sic de similibus sequentibus. Hunc sensum ut etiam habeat nostra lectio, in verbo, videbit, subaudiendum est, quisque, vel homo, &, videbit, accipiendum est pro, æquo animo tolerabit. quomodo communiter dicimus: ille non potest hanc rem videre, hoc est, non potest æquo animo aspicere nec tolerare. Itaque sensus erit: Quilibet facile videbit, feret & tolerabit quamuis plagam, sed non plagam cordis, & sic in sequentibus. In quibus notandum est, nomen, obductum, in quarta declinatione positum esse pro obductione. Est enim Græcis rursum dictio ιπαγων, qua hic author saepius utitur, & noster interpres vertit plerumque obductionem. Significat autem calamitatem & quodvis malum, mentem hominis tristitia & mœrore obducentem & obnubilantem. ut dictum est in principio capituli secundi. Itaque sensus est: quamuis patietur homo calamitatem & molestiam, item & vltionem atque vindictam, modò non sit odientium & inimicorum: quia cum hi sine miseratione affligant & vindicent, nec modum aliquem ponant illati mali aut vltionis, intolerabilis est calamitas & vltio quæ ab ills irrogatur, & omnibus modis deprecanda. Inter calamitatem autem vel obductionem odientium, & vindictam inimicorum hoc interest, quod illa inferatur præter meritum, haec supra meritum. Nam qui odiunt aliquem, etiam non læsi nocere illi laborant: & qui inimici sunt, parū læsi grauius quam oportet se fere vlcisci student. Haec ergo sententia continet malarum quarundam rerum & incommadarum comparationem, ostenditurq; quid in quoque malorum genere sit extremū, & maximè detestandū. Præcipue autē haec omnia videtur dicta esse ad mulierum malitiā exaggerandā, ac significari eam cordis adferre tristitiam, ipsumq; cor vulnerare dolore grauissimo, eandem

CORN. IANSENII COMMENTARIA

eandem quoque & inuestione odientium & vindicta hostium esse gra-
uiorem, aut cum eis comparandam, tanquam similiter intolerabilem.

18 Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super
iram mulieris.

Nomen, colubri, in genere positum est pro serpente, cum Græcè
sit ἄριστος. Pro mulieris, Græca iam habent χειρός, inimici, ut
ad explicationem superioris sententiæ subiecta sit hæc sententia. Sed
consideratis sequentibus, magis videtur istud dictum de mulieris ira.
Itaque per comparationem hæc sententia est accipienda, ut significetur
quod quemadmodum inter omnium animantium capita nullum est ne-
quius, hoc est, perniciosius & magis noxiū quād caput serpentis,
propter venenū quod in eo gerit, idq; occulte, paratum illud effundere
per insidias cū opportunum erit, idq; non tantū vt lædat, sed etiam
occidat hominem: ita omnium pessima est ira mulieris, quia et si viribus
corporis aperto marte nocere nequeat, tamen iram, quam in animo in-
star veneni latenter gerit, opportunitatem nacta effundit, nec desinit do-
nec eum cui irascitur, perimat & perdat. Hæc autē & sequentia non ob
id à Sapiente dicuntur, quasi propositum ei sit illum sexum acerba &
contumeliosa oratione insectari, quem Deus vult honorari, sed impro-
barum mulierum vitia notare acriter voluit, ut insinuaret cum quanta
discretione & iudicio vxor sit diligenda. Et rursum quanta prudentia
agendum sit cum mulieribus, ne temerè irritentur. Deinde cauendum
esse, ne illarum amori etiam in coniugio quisquam nimis addicetus sit,
easque nimis perditè amet, multò magis extra coniugium.

19 Commorari leoni & draconis placebit, quād habitare cum mu-
liere nequam.

Simile est apud Salomonem in Proverb. Melius est habitare in terra
deserta, quād cum muliere rixosa & iracunda. Hyperbolice autem
hæc sententia dicta videtur, ad significandum quād intolerabilis sit &
noxia malitia mulieris, & quod cū leonum & draconum sœvitia arte
superari possit, illius malitia ægrè vincatur, aut nullo modo. Item quod
præstet subita morte à feris perimi, quād lenta morte & diurna per
malitiam improbæ vxoris cruciari.

20 Malitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum suum
tanquam vrsus, & quasi saccum ostendit.

21 In medio proximorum eius ingemuit vir eius, & audiens suspi-
ravit modicum.

Quidam libri habent, obcæcauit, quidam per futurum obcæcabit &
ostendet: sed verior lectio est per prælens, obcæcat & ostendit,
quia præcedit prælens, immutat, & Græcis est præsens οὐκανοί. Ex quo
verbo patet verbum, obcæcare, apud nos positum esse impropriè pro
obscu-

obscure, ut obscere vel obscure vultum suum, sit torum vultum & tristem exhibere. Sicut enim hilaris vultus lucidum se præbet & claram, ita tristis & torus obscurum & obscetum. Cum autem æditio Complutensis tantum habeat comparationem vrsi, altera vero tantum sacci, noster vtramque coniunxit. Et vro quidem comparatur mulier vultum suum obscursans, quod vrsus toro sit vultu sicut & vrsa. Sacco, quod tristitiam præ se ferat, & tetrica videri velit, atque instarnigri & commaculati sacci vultum suum infuscat. Est ergo sensus: Malitia mulieris efficit ut naturalem habitum faciei suæ immutet, ut scilicet quam natura blandam finxit & amicam, ipsa contraria naturam toruam exhibeat, vultumque suum obfuscet instar torui vrsi, & sacci nigrantis & fusi. Quod sequitur; In medio proximorum eius; et si communiter referatur ad præcedentia, & coniungatur verbo, ostendit, potius tamen coniungendum esse sequentibus Græca cōmonstrant, quia relatum, eius, hoc loco est masculinum, est enim ἀντρος, ut ad virum referatur, & sit sensus: Vir illius ingemuit in medio proximorum eius, pro suorum, cum scilicet proximi eius apud illum conqueruntur de austerritate vultus, quam eis & alijs exhibet, unde sequitur: Et audiens, eorum scilicet querelas, suspirauit. Quod enim participium, audiens, non sit referendum ad mulierem, quasi sensus sit: audiens, mulier viri sui gemitum suspirauit modicum, simulans scilicet se ei compati, quemadmodum fere intelligitur, patet ex Græcis, quæ habent participium masculinum ἀνθρακας. Pro, modicum, Græca habent aduerbum πινγε, hoc est, acerbè & amarè, ut significetur maritum audientem sinistrum de vxore sua sermonem grauiter & acerbè suspirare. Interpres declarat se pro πινγε legisse μινγε, hoc est, parum & modicum. Modicum autem suspirare in medio conquerentium amicorum recte dicitur maritus, ad significandum quod præ pudore non audeat doloris sui magnitudinem satis prodere & declarare. Pertinet enim ad eius ignominiam vxoris improbitas.

22 Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam.

Brevis, hic rursum positum est pro parua, sicut suprà. Brevis in vo- Sup. ea. 31.
latilibus est apis. Est enim rursum μινγε. Et pro, super, est præpositio προς, ad. Itaque sensus est; Parua est omnis malitia, si conferatur cum malitia mulieris. Quo idem significatur quod suprà cum dixit; summa malitia, nequitia mulieris. Quod hyperbolice dictum est, ut & alia, ob causas iam dictas. Quod sequitur; sors peccatorum cadat super illam; continet precationem qua petitur ut iusti immunes sint à malitia mulieris, sed potius peccatores pro sua sorte & portione ipsis Dei iusto iudicio debita incident in illam. Itaque sensus est; sors peccatorum, hoc est, portio quæ Dei dispositione peccatoribus debetur, cadat super malitiam mulieris, ut scilicet illam impij accipient pro sua parte. Qua petitione significatur tantum, impios dignos esse qui hanc malitiam

CORN. IANSENII COMMENTARIA

tiam perferant, sicut in Psalmis, dum petitur impiorum ultio, significatur quid mereantur. Non enim legendum esse per futurum indicatiui, cadet, sed per optatuum, cadat, ut multi libri habent, docent Graeca, quæ habent *πειθού*.

23 Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.

Alia similitudine apta notat importunitatem mulieris garrule & loquacis, quæ viro ledato intemperati lingua odiosè obstrebit, comparatque eam ascensui arenoso, respectu pedum hominis senis, significans quod quemadmodum ille valde molestus est pedibus illius, tum quia ascensus est, tu quia arenosus, & ob id difficilior: ita & talis mulier homini pacis & tranquillitatis amanti admodum molesta & grauis est, idque tum quia garrulitas illa contraria est ingenio ipsius, tum quia molestum est eam ferre in muliere, cuius vel præcipuum ornamentum est silentium & subiectio. unde Paulus vult eam in silentio discere, non auctoritatem aliquam in virum sibi vendicare.

1.Tim.2. 24 Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie.

Postquam exaggerauit mulieris nequitiam, atque indicauit molestiam & pericula quæ ab ea sunt metuenda: recte iam monet, vt etiam ab eo quod in ea blandum est & gratum, nobis caueamus, nempe ab eius pulchritudine, quæ multis ruinæ causa fuit. Propter speciem enim mulieris multi perierunt, vt suprà dictum est. Poteſt autem hæc sententia accipi dicta contra periculum fornicationis, vt significetur non curiosè attendendam mulieris pulchritudinem, ne ex curiosa inspectione quis pertrahatur ad libidinem, & propter speciem incipiat concupiscere mulierem, quam ei non licet concupiscere. Poteſt etiam accipi vt pertinet ad eos qui vxorem ambient, aut iam vxorem duxerunt, vt significetur ducturo vxorem non potissimum respiciendum ad pulchritudinem mulieris, nec propter speciem illam desiderandam esse, sed magis attendendum ad illius mores & institutionem, eiusque usum non querendum propter eius formæ venustatem, sed magis liberorum causa, qui Deo æducandi sint. Graeca enim habent, mulierem nō concupiscas ad voluptatem. Sanè qui in uxore maximè attēdunt & amant formam, nec diuturnum solent habere amorem, & sibi maximam solent accersere molestiam per zelotypiam, & imperium uxoris quod ferre coguntur. Dictum est à quodam: Uxorem si habueris *καλην*, pulchram, habebis *κοσμη*, communem: si deformem, *ποινην*, pœnam. Quo significatum est, mediocrem formam requirendam.

25 Mulieris ira, & irreuerentia, & confusio magna.

Varia

Varia hic est lectio. Rabanus enim quod est in fine præcedentis sententiæ, coniungit huic sententiæ, legens: In specie mulieris ira, &c. vt sit sensus: Per speciem mulieris incurritur ira, & irreuerentia, & cōfusio magna. Plerique libri, qui eam partem, in specie, coniungunt versui præcedenti, omittunt secundum, & vt sit sensus: Ira & irreuerentia mulieris, est confusio magna, hoc est, adfert marito magnam ignominiam. Alij omittunt primum, vt sit sensus: Mulieris ira est viro suo irreuerentia, & confusio magna. Græca habent utrobique coniunctionem, sicut etiam quædā scripta. Et potest hæc lectio hunc habere sensum: Ira mulieris, eiusque inuercundia, atque confusio vel ignominia quam marito adfert, non est vulgaris & leuis, sed magna, & grauis atque permolesta. Iracunda enim mulier irreuerenter se gerit erga maritum suum, suaque tum ira, tum irreuerentia viro confusionem magnam adducit, quod ei non deferat honorem quem secundum naturam & legem debet. Vnde & subiicitur:

26 Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.

Mulier, inquit, si permittitur imperare viro & familiæ, viro cui debet esse subiecta, & cuius voluntati se accommodare deberet, erit contraria, hoc est, ei rebellabit, semper contradicet, & contraria volet. Vnde Paulus: Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum. Græca pro duabus sententijs iam habitis vnam tantum habent, hoc modo: Ira & irreuerentia & confusio magna mulier quæ subministrat viro suo; hoc est, quæ sumptus suppeditat, inuercundè est imperiosa, & fastuosa. Quo significatur, quod sicut in diligenda vxore non est forma præcipue spectanda: ita nec diuitiæ, quæ ferè secum imperium vxoris adferunt & fastum. Proinde prudenter quidem Sapiens monuit eum qui vxorem ducere volebat, vt æqualem ac parem duceret. Quæ enim in coniugio superior est fortuna, eadem vult esse superior auctoritate. Itaque; & nostra lectio accipi poterit de primatu fortunæ & opum, vt sit sensus: Mulier si in coniugio primas partes diuitiarum obtineat, recusabit morem gerere viro suo.

27 Cor humile & facies tristis, & plaga mortis mulier nequam.

28 Manus debiles & genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum.

Dvæ hæ sententiæ exponendæ sunt causaliter, vt mulier mala dicatur cor humile, &c. quia facit viro cor afflictum, faciem tristem, & veluti vulnus mortiferum ei infligit, cor eius ita lædens, vt & mors nonnunquam subsequatur. Græca tamen habent non, mortis, sed ^{1. Tira. 2.} Aliæ, cordis, & verisimile est sic interpretem vertisse. Sic & mulier quæ sua virtute non beatificat virum suum, sed sua malitia illum infelicem & miserum facit, dicitur esse, manus debiles & genua dissoluta, quia efficit vt manus viri sui sint debiles & genua dissoluta, hoc est, omne ei virile

CORN. IANSENII COMMENTARIA

ei virile robur eripit non tantum cordis, sed etiam corporis, ut nec operari nec ambulare ei libeat, atque in summam illum desperationem injicit.

Isaiae 35. Hebr. 12. Sic enim scriptura solet notare eos qui fracto sunt animo & desperationi proximi, ut cum dicitur apud Isaiah: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Et apud Paulum: Remissas manus & genua soluta erigite.

29 A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.

1. Tim. 2. Inter cætera mala quæ à muliere prouenient, Sapiens altius repetendo proponit malum quod in principio mundi exordium sumpsit à muliere, ut huius consideratione insinuet quām cautè quisque se gerere debeat cum mulieribus, quamque curandum sit maritis, ne imperium permittant vxoribus, néue immodico amore eis adhærent. Huius enim consideratione & Paulus monet mulieres, esse officij sui, ut in potestate viri sui sint, nec in eum potestatem aliquā assumant, quia inquit, Adam non est seductus à diabolo, sed Eua ab eo seducta fuit in prima illa prævaricatione. Vnde & in sequenti sententia indicat Sapiens, cur meminerit primi peccati per mulierē introducti, cùm subiicit.

30 Ne des aquæ tuæ exitum nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi.

Prou. 17. Ex præcedentibus velut cōcludendo docet hac sententia, prauæ mulieri nullam licentiam esse dandam, sed in potestate quantum fieri possit retinendam. Ad quod commonstrandū pulchram adhibet similitudinem de aqua, cui si detur vel minimus exitus, facile erumpet, & liberiorem sibi viam faciet, ita ut postea contineri & cohiberi nequeat. Per comparationem enim partes huius sententiae sunt intelligendæ, ut sit sensus: Sicut non expedit ut aquæ, quam continere vis, vel modulus exitus detur: ita non expedit ut prauæ mulieri des facultatem quod uis prodeundi, & quod liber faciendi: sed diligenter cohibenda est & retinenda in officio, nec ei etiam in paruis indulgendum est, ne maiorem semper sibi libertatem vendicet, & postea cohiberi & ad officium reduci non possit. Simili comparatione Salomon in Prouerbijs dehortatus est à litibus, dicens: Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum, &c.

31 Si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum.

32 A carnibus tuis absconde illam, ne semper te abutatur.

Gracis tantum est; Si non ambulauerit secundum manum tuam, à carnibus tuis absconde eam. Complutensis tamen aeditio addit; da & dimitte, hoc est, da ei libellum repudij, & dimitte eam à te. Loquitur enim secundum permissionem datâ veteri populo de dimittenda vxore rebelli: quæ permissio iam in nouo testamento locum non habet, nisi in causa

causa fornicationis. Rabanus etiam duas has sententias coniunctim legit tanquam vnam, addendo coiunctionem, & quæ etiam in quibusdam scriptis inuenitur, hoc modo: Si non ambulauerit ad manum tuam, & confundet te in conspectu inimicorum, à carnibus tuis abscinde illam, &c. quæ lectio magis placet. Et est sensus: si non ambulauerit secundum manum tuam, hoc est, non vixerit iuxta tuum ducatum, nec pati velit vt à te dirigatur & deducatur. Aut si tuæ potestati & autoritati subiici noluerit (nomine enim manus, ducatus vel potestas & autoritas significatur) & si ignominia te afficiet per suam rebellionem & improbam vitam coram hostibus tuis, qui in tua ignominia sint gauisuri, abscinde eam ab vnu carnis tuae, atque à tua cohabitatione, vel ad tempus, vel imperpetuum, quatenus id per Dei legem licet, ne semper abutatur tua patientia & leuitate. Omnino autem apparet ex hoc loco authorem huius libri existimasse, diuortium ob causas iustas, non tantum permisum fuisse Iudaico populo, sed etiam concessum, vt sine peccato fieri potuerit etiam extra causam fornicationis.

CAPVT VIGESIMVM SEX TVM.

Mulieris bonæ beatus vir, numerus enim annorum illorum duplex.



Rosequitur hoc capite Sapiens cœptum superiori capite argumentum de mulieribus, subiiciens iam sententias de bonis mulieribus, ac mox rufum de malis, & deinde iterum de bonis, ostendens plane sibi non fuisse propositum vituperare hunc sensum, sed tantum monere quæ in eo sunt expetenda, quæque fugienda. Multam autem felicitatem à probis mulieribus prouenire indicat primis sententijs. In quarum prima pro nostra lectione notandum pro relatio, illorum, Græcis esse singulare ἀντίκτη, hoc est, illius, nempe viri vxoris bona. Proinde in nostra lectione relativum, illorum, accipiendum est positum pro talium, scilicet virorum bonarum vxorum. Nisi quis velit referre ad virū & mulierem bonam, sed id Græca non significant. Prædicat ergo felicitatem viri cui bona contigit vxor, ex eo quod numerus annorum eius sit duplex. quod multis modis declarari potest verum esse. Simpliciter autem significari videtur virum talem diutius vieturum, vitamque eius prolongandam ex lætitia quæ ei obtinget à probitate vxoris: sicut contrà improbæ vxoris vir ex mœrore & molestijs quas patitur, ante naturalem vitæ finem contabescendo perit & moritur. Itaque duplex est numerus annorum viri bonæ vxoris, quia qui alioqui tantum viginti annis aut minus erat vieturus, viuet quadraginta aut amplius. Potest & ideo intelligi dictum numerum annorum eius esse duplicum, quia non tantum viuet vita naturali, sed etiam vita lætitiae: qua qui sunt de-

stituti,